



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Pastorale Missionariorvm**

**Verjuys, Jean-Baptiste**

**Antverpiæ, 1682**

13. Vtrùm pueri hæreticorum invitîs parentibus sint baptizandi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41565**

## ARTICULUS XIII.

*Virum pueri hæreticorum invitis parentibus sint Baptizandi.*

**R**espondetur Affirmativè. Quod satis colligitur ex Conc. Toletano præcedenti articulo pro 2 concl. relato.

Prob. Ratione: Quia hæretici ratione baptismi, jurisdictioni Ecclesiæ planè subduntur; ac proinde sine injuriâ compelli possunt, ut pueros suos ad Baptismum Catholicorum deferri faciant, & in Religione Catholica instruant. Si autem hoc facere recusent, eorum infantes ab eorum cura abstrahi & baptizari possunt, imo & debent.

Contra tamen objici potest. 1. Quia non minus periculum imminet illis infantibus, si baptizati relinquantur sub cura parentum, quam infantibus aliorum infidelium, ne postquam ad adultam ætatem devenient, à fide deficiant, & parentum suorum erroribus inhæreant.

2 Jus naturæ quod relinquit parentibus curam & directionem liberorum suorum, usque ad adultam ætatem non perditur per hæresim, magis quam per aliam infidelitatem, ac proinde

de salvo illo jure baptizari non possunt inviti  
parentibus etiam hæreticis.

Resp. Periculum perversionis non esse adeo  
propinquum in liberis hæreticorum , sicut in  
pueris aliorum infidelium , tum quia sine suo-  
rum parentum injuria ab ipsis abstrahi pos-  
sunt , tum etiam quia hæretici Christi nomen  
& Sacra menta Christiana non adeò detestan-  
tur,cùm & ipsi baptizare soleant. Addi etiam  
potest , quòd licet à parentibus & aliis mini-  
stris suis hæreticis falsa dogmata edoceantur,ti-  
men sæpè laborent difficulter vincibili igno-  
rantiâ,cùm ad adultam ætatem perveniunt,&  
sic non laborent hæreticâ , pertinaciâ ita  
salvari possint , si de peccatis post Baptismum  
commissis verâ contritione doleant,& saltē  
sciant quæ de necessitate salutis sciri debent.

Ad 2 Resp. Parentes per baptismum non  
perdere quidem jus alendi & instruendi proles  
suas , usque ad adultam ætatem, sed illud con-  
stringi ad instructionem in fide , quam per  
Baptismum suscepérunt , ratione cujus per  
suam aut aliorum susceptorum voluntatem, se  
& consequenter suos liberos, jurisdictioni Ec-  
clesiæ subdiderunt , quantum ad res fidei , &  
fidei Sacramentum.

TRAC-